

§ 6. Cæterum, quemadmodum divisiones causarum efficientium in ipsis corporibus naturalibus, quæ diversa diversas, eadem easdem aut diversas causas habent, dedimus fundatas; sic & divisionem causæ finalis in iisdem, in quantum illa instituto nostro inservit, fundamus. Hinc finem *universalem eundemq; absolutè talem* constituimus DEI Optimi Maximi gloriam. Universa enim propter seipsum operatus est Dominus, Omnia propter DEUM sunt, quia omnia enarrant gloriam DEI, omnia ducunt ad DEUM & ex omnibus cognoscitur DEUS bonus; *respectivè talem* Hominem, compendium naturæ, utpote cui tanquam Domino suo ac Numini terreno inservit, quicquid in cælo juxta atq; in terrâ est. Ac licet nonnulla creata videantur homini exitio magis, quam commodo esse; illud tamen per accidens fit & propter peccatum. Ubi non Natura accusanda, sed malitia deploranda, quæ contra nos armat totum hoc universum. Et si non patet ad oculum statim quomodo omnes species propter hominem factæ sunt, infirmitas nostra fatenda & natura penitiùs rimanda, non res ipsa tamen neganda est.

§. 7. *Particularem* deniq; finem cujuslibet speciei corporis naturalis quod spectat, is obscurior quodammodo est universalibus, indagandus tamen probè sedulis naturæ aestimatoribus. Sic hominis particularem finem è potissimâ facultate sumimus, quæ est sapere ac veritatem inquirere; Solis finis est lucere & diem annumq; efficere; Lunæ mensem constituere. Pulchrè admodum *Seneca Epist. 76.* Omnia suo bono constant: vitem fertilitas commendat, sapor vinum, velocitas cervum. Quare fortia dorso jumenta fiant, quæris? quia eorum unus est usus, sarcinam ferre. In cane sagacitas prima est, si investigare debet feras: cursus, si consequi, audacia, si mordere & invadere. In id quoq; optimum est cui nascitur, quo censetur. In homine optimum quid est? Ratio: hæc antecedit animalia, deos sequitur. Ratio ergo perfecta, proprium hominis bonum est: cætera illi cum animalibus satisq; communia sunt. Valet? & leones. formosus est? & pavones. velox est? & equi, non dico, in his omnibus vincitur. Non quare